



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**De Rebus Gestis Beati Aloysii Gonzagæ E Societate Iesv**

**Marchetti, Annibale**

**Florentiæ, 1687**

Ad Lectorem.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-43962**

# AD LECTOREM.



*Antequam oculos in hanc hystoriam candide Lector conijcias, duo te monitum volo, alterum circa materiam, qua de agitur; alterum circa dicendi characterem. Quod attinet ad materiam; illud pro certo habeto, nihil me, quod non apud probatos scriptores inuenerim posuisse. Plurima e Virgilio Cæpario diligentissimo scriptore hausimus: non omnia tamen: nonnulla enim, quæ rebus alibi memoratis non nisi numeri accessionem adiungerent, studio breuitatis omisimus. Alia memoratu digna, quæ eius solertiam fugere, aliunde, ac præsertim e tabulis publicis pro B. Adolescentis Apotheosi confectis supplēvimus. Vidimus etiam no-*

*tas*

tas illas , quas Robertus Bellarminus  
iam senex, & Purpuratus ad marginem  
Vitę a Capar o descriptę ( quę hodie in  
Ragusino nostrę Soc. Collegio asseruatur )  
ascripsit , quibus tamquam oculatus te-  
stis nonnulla ad hystorię complementum  
adiecit : atque ex ijs selectiora quędam  
in nostram hanc narrationem transtuli-  
mus . Hęc de materia .

Ad eloquutionem verò quod attinet ;  
latine quàm italicè scribere maluimus ,  
ut non ysdem , quibus Italia finibus , tan-  
torum salubritas exemplorum coercere-  
tur : sed ad orbem terrę uniuersum , cui  
labij unius communitatem Latina Reli-  
gio reddidit , longè , lateque porrigere-  
tur . Stylum nonnihil acuire placuit , ut  
Lectrem ad salutaria excitatum habe-  
remus . Procliue est enim humane desi-  
die , salubribus indormire sermonibus :  
quare qui aculeata verba subinde pro-  
mit ,

mit, vice fungitur vellicantis amici.  
Linguae pariter elegantiam minime con-  
temnendam duximus, ut si qui sint lati-  
nitatis amantes, dum humanas litteras  
querunt, potiora hominis ornamenta nec  
opinantes inueniant: usque, qualis olim  
Sauli, fors obueniatur, ut asinas quari-  
tantes regale decus excipiat. Illud etiam  
spectauimus, ne Latinae linguae studiosi  
lutulentas quasdam veterum scriptorum  
eloacas sibi adeundas censeant, ut ve-  
luti de stercore gemmas eliciant. Ha-  
bent enim purissimos, eosdemque uberr-  
imos fontes Ciceronem, Caesarem, Liui-  
um, Salustium, ceterosque, quos ca-  
stissimae sponsae suae, Latinae scilicet Ec-  
clesiae, olim Deus preparauerat; unde  
gratis haurire sine pudoris dispendio va-  
leant. Inde nos hausimus: inde si quid  
nostra probentur, se quoque haurire pos-  
se non est cur ceteri diffidant. Dolet e-  
niam

nim plurimum, cum laudari audio lati-  
nitatis nomine spurcissimum illum Ne-  
ronianæ nequitie præfectum Petronium  
Arbitrum eiusque fragmenta tanquam  
sacra lipsana summa colligi attentione,  
ac nitidissimis typis commendari. Ego  
vero libenter fateor, profiteorque, me  
nunquam cœnosas illas paludes, ac fœ-  
da volutabra ingressum: ut qui optimè  
no-vi innumeros scriptores ad aureum  
Augusti seculum pertinentes, nondum  
nato, nec proinde lecto Petronio (qui nec  
auream vixit ætatem) elegantissimè  
loquutos: itaque necessarium non esse,  
ut linguæ mundities paretur, eam in  
sordes illas immittere, ac tenuissimum  
decus cunctis veterum latinorum muli-  
erculis vulgare cœlestis regni iactura  
coemere. Et quanquam non in ea sum  
hæresi, ut in Tullij verba iurandum cen-  
seam: quod acrius, quam par est,  
con-

contendit Marius Nizolius suo operi  
pretium facturus : An ideo necesse sit  
Petronij scholam , seu maris lyceum  
( quod nobis lupanar dicitur ) ingredi ,  
ubi non alia peculiaria vocabula discas ,  
quam quæ ingenuo , & pudico homini  
premere nefas sit ? quare qui tam stu-  
diose Petronium versant , ceterisque com-  
mendant , non illos linguæ munditia  
verum immunditia , ac foribus dele-  
tari plurimum dubito .

Quod autem de Petronio diximus ,  
idem dictum volumus de veteribus il-  
lis Poetis , qui ethnico more Poesim  
olim Virginem formandis moribus na-  
tam ita vitiarunt , ut ad omnem ob-  
scenitatem prostituerint . Ab ea Adole-  
scentibus haud parum periculi est : dum  
enim ad honestam cantricem se invita-  
ri putant , meretricem imprudentes offen-  
dunt . Non omnibus tamen , qui obscæ-

ni aliquid admistum habent, abstinendum censeo (secus universo fere veterum Poetarum ordini valedicendum esset) sed ut vias lutulentas, ita eos saltu, ubi opus, adhibito percurrentes. Sic citius quisquis latinitati operam navat quò cogitavit perveniet, nusquam voluptatis ceno, vel tenaci detentus, vel fluente prolapsus. Hec te Lector monuisse volumus. Vale, & si quid meis hisce laboribus in te pietatis excitatum sentias, fuis ad Deum precibus nonnihil in authorem refundere memineris.



Domini-